Part of a Letter to one of the Secr. *of the* R. Society, *from the Learned Dr* Salomon Reiſelius, *Chief Phyſician to the* Duke *of* Wirtemberg; *concerning the* Sipho Wirtembergicus Stutgardiæ. 8. *Oct.* S. V. 1685.

STatim atque veſtras 4 Junii datas vidit Sereniſſimus *Princeps* meus; in quibus communicas Veſtra Experimenta in Siphone Vitreo decem pedum; ſcire deſideras quantum temporis ſit duraturus Siphonis flüxus noſtri; das conſilium pro extrahendis bullulis in Siphone collectis, quæ fluxum poſſint ſufflaminare; ſperas Sereniſſimum *Ducem* paſſurum, ut & vobis & Orbi toti exponatur artificium Machinæ ſuæ: Juſſit Typis manifeſtare ſecretam ſui Siphonis ſtructuram, inprimis poſtquam paulo ante reſciviſſet Socium aliquem veſtrum ex mandato *Societatis Regiæ* imitatum eſſe eoſdem effectus, & Phænomena ſui Siphonis. Quod hiſce jam Nundinis præteritis *Francofurtenſibus* factum eſſet, niſi prius voluiſſem in altitudinem & amplitudinem inſignem & ſatis utilem elevare; quandoquidem à Vidua *Jordani* & alio Oculato Teſte audivi, ipſum ad quinquaginta quatuor pedes in domo ſua exaltaſſe cum fluxu & refluxu, cujus Veſtigia ipſe obſervavi, cum altitudinem metirer; quam vero altitudinem tranſcendere hactenus propter varia impedimenta & negotia nondum fuit conceſſum.

Ne vero diutius *Sereniſſimæ Societatis* deſiderium fruſtrarer, aut morarer, fateor excellentiſſimi D^ni. D^ris. *Papin* Siphonem ipſiſſimum eſſe *Wirtembergicum*, etiam cum recurvatione pedum factum; neque aliud eſſe myſterium ut Inventor ipſe ſcripſit, in ſummitate, quam quod per infundibulum debeat impleri, ſine qua impletione non poteſt transfluere. Quod proxime Typis amplius

amplius confirmabitur, quia longum nimis eſſet & tædioſum hic omnia ſcribere.

Aſt ut in præſenti oſtendam me hactenus nonnihil laboràſſe circa Siphonis effectus ; ecce inter Experimentandum, hoc quoque mihi occurrit ; ut didicerim, quomodo in Vertice vel ad latera poſſit effluere ; quod hactenus multi promiſere, vix quiſquam effecit ; ſed quod Principi meo ſereniſſimo oſtendi, & promittere audeo ; me in quavis poſſibili Elevatione & transfluxu velle xəhaurire aquam in Summitate vel ad latera, in poſterum aperiam, quando per plura experimenta tam altitudinis quam continuationis certior redditus fuero.

Quid apud vos hactenus ſit tentatum, & quouſque ſit progreſſus D^r. *Papin*, expecto à tua liberalitate : Interim per compendii modum vidi *Papiniani* Siphonis figuram & Deſcriptionem in menſe Majo Novellarum Reip. Literariæ *Amſterodami* excuſarum, cui gratulor de tam felici imitamine, &c.